

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXXXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

humanitatem bonorum experiatur. Commendo eatenus eum T. H. ut alloquio eum digneris & dirigas etiam ad alios aliquot. Si volet Dominus T. H. ipse brevi visam. Scripsi Basil. 15. Augusti an. 65.

T. H. totus


Sulcerus.

LXXXV.

S Clarissime Domine Doctor, & mihi in Domino honorande frater. Si quod gratum officium mihi præstitit T. D. rogo, ut propter me hunc puerum iure, si possit, in Collegium Wilhelmitanum recipi. Præstitit mihi T. C. in simili petitione officium gratum, id verò longe gratissimum est futurum. Puer D. Osiandæ Cognatus est, qui idem à me petiit. Et quæ est tua pietas, utriusque non denegabis, modo locus aliquis sit, sin verò nunc recipi non potest, in tam ampla urbe fortassis tamdiu hæreere posset, donec locus aliquis vacaverit. Conversationis nostræ dulcissimæ sicut semper sum memor, ita vicissim pro te etiam sum sollicitus, ne forte malum te infestet amplius, quod coram adspeximus, Dominus te longævum Ecclesiæ suæ conservet & dona sua augeat, nobis omnibus, ut unanimi & pio consensu insultus Sathanæ sustinere & repellere possimus. Universum Collegium tuum quæso meo nomine reverenter salutes. Bene & feliciter vale. Raptim Tubingæ pridie Calendarum Septembris. Anno 65. Concordantiarum hebraicarum quæso non velis oblivisci. Cujus rei Dominus Speccerus mihi spem fecit. Interea dum reverentus sum, etiam Jesuitis Ingolstadtienibus respondi.

R. T. addictissimus

Jacobus Andreæ,
ut semper.



LXXXVI.

S In Domino. Etsi, Clarissime D. D. hætenus nulla cum tua R. mihi fuerit confusio aut familiaritas, ideoque subimpudens videri possum, qui & ad tantum virum mihi nondum familiarem scribere, & ab eo beneficium petere audeo, in quem nullum meum meritum extat: tamen, quæ est tua pietas & à multis mihi prædicata humanitas, spero me hisce literis tuæ R. non fore molestum. Est mihi cognatus in oppido Guntzenhausen, Christophorus Kistner, filius amicæ meæ. Is adolescentem filium suum studio-

rum